Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 521. Hormisdæ Pap. Annus 8. Ivstini Imp. 4. Theodorici Reg. 29.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

ſub eadem nocte tranſmitteret, & quid de Germano Epiſcopo ageretur, agnoſceret & indicaret. Factumque eſt: & reuerendiſſimum virum Germanum Epiſcopum, is qui miſſus fuerat, iam defunctum reperit. Et requirens ſubtiliter, cognouit eodem momento fuiſſe illius obitum, quo vir Domini eius cognouit aſcenſum. hactenus de S. Germani triumpho Gregorius, contigit autem eius ad Deum tranſitus tertio Kalendas Nouembris, qua die annua celebritate in Eccleſia eiuſdem memoria colitur. Porro hæc longe poſtea contigerunt: nam (vt ſuo loco oſtendetur) nondum hoc tempore S. Benedictus in Caſſinum montem migrarat.

IESV CHRISTI
Annus 521.

HORMISDÆ PAP. Annus 8. IVSTINI IMP. 4. THEODORICI REG. 29.

I. IVSTINIANI CONSVLATVS CVM EDITIONE MVNERVM.

QVI ſequitur quingenteſimus vigeſimus primus Chriſti annus Faſtis redditur Conſulatu Valerii, quem dedit Occidens, & Iuſtiniani in Oriente à Iuſtino Imp. creati. Roma altero, altero Conſtantinopoli gaudente. Celebratur in ſui editione Conſulatus Iuſtiniani munificentia, de quo Marcellinus iſta habet in Chronico: *Famoſiſſimum hunc Conſulatum Iuſtinianus præ Conſulibus omnium Orientalium vtilitatibus edidit: nam ducenta octoginta octo ſolidorum ſeſtertia liberalitate Conſulari profecta munificentia in populum, inque ſpectacula, ſiue ſpectaculorum machinam diſtributa ſunt. viginti leones, triginta pardos, exceptis aliis feris, in amphitheatro ſimul exhibuit: numerofos præterea, phaleratoſque in Circo caballos iam donatu quoque impertiuit aurigis. Vna dumtaxat vltimoque mappa inſanienti populo denegata.* hæc Marcellinus. Licet autem gladiatorum dempta fuerint cruenta ſpectacula, retenta tamen ea fuere in venatione ferarum, & pugna cum beſtiis ab humanitate penitus aliena, multo magis vero à Chriſtiana religione abhorrentia, dum diſcerpi à beſtiis homines, & redempta Chriſti ſanguine corpora ſanguinem fundere cernerentur, atque in populi ederetur inſanum oblectamentum, quod ad mouendum luctum accommodatum potius videbatur. In deteſtationem vero huiuſcemodi cruentorum ſpectaculorum extat Theodorici Italicæ Regis epiſtola ad Maximum, qui poſt annum ſequentem Conſul creatus eſt: dicemus de ea ſuo loco. Sed iam ſignato Conſulibus anno Eccleſiaſticarum rerum eodem anno geſtarum narrationem aggrediamur.

II. RETENTI LEGATI HIEME ROMÆ.

Qui anno ſuperiori ab Epiphanio atq; Synodo habita Conſtantinopoli, nec non ipſo Iuſtino Imp. miſſi ſunt (vt vidimus) Romam legati, diutius ab Hormiſda retenti ſunt, nempe integra hyeme, ſæpe auditi, & de petitionibus, quas vna cum litteris ingeſſerunt, differentes, omni probationum genere conuicti, atq; etiam perſuaſi, haud indigne de illis ab eodem Pontifice tulere repulſam, quam non ab infenſo viderent prodire animo, vel à ſuperba mente manare, ſed potius è puro fluere doctrinæ fonte per maiorum traditionũ irrigua, ipſo Hormiſda ſæpius illud Apoſtolicum inculcante a: *Non poſſumus aduerſus veritatem, ſed pro veritate.* oſtendente planè, tantam Pontificiam poteſtatem non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem datam; nihilq; præter fas vſurpandum Eccleſiæ vniuerſalis Antiſtiti, eidemque præfecto diſpenſatori myſteriorum Dei; cum ex ſententia eiuſdem Apoſtoli b, inter diſpenſatores illud potiſſimum requiratur, vt fidelis quis inueniatur. Sed tantæ moræ, penes quem erat ſumma totius Imperii, Iuſtinianus Cõſul impatiens, has interea ad Hormiſdã perbreues litteras dedit c, quibus eorum reditum accelerandum eſſe rogauit.

III.

Diligenter Apoſtolatus veſter cognouit, quanto fidei calore filius veſter ſereniſſimus Imperator, noſque ſuimus ab initio. Nunquam ceſſauimus agere, quæ pertinebant ad firmamentum religionis diuinæ. Pro qua re nuper etiam reuerendiſſimos ſacerdotes Romã direximus, vt integrum componeretur de capitulis, quibus ad ea dubitatio vertebatur. Sed ignoramus, qua difficultas prouenerit, vt minime ſopirentur hactenus ea, quæ videntur eſſe leuiſſima. Salutantes ergo veſtram reuerentiam, petimus, vt nulla præbeatur occaſio, qua de tua quiſquam poſſit ambigere voluntate; ſed habentes præ oculis iudicium maieſtatis ſupernæ, modis omnibus feſtinare dignemini. hactenus Iuſtinianus.

IV.

Qui licet ex fidei Catholicæ ardore ſit iure laudandus; dum tamen plus quam par eſt homini laico, à ſe propoſita, ex ſua ipſius ſententia optat ſibi cuncta quam celerrimè à Romano Pontifice definiri, parat ſibi in eius ad lapſum foueam, in quam miſer eam vitare negligens, ad vitæ finem, dum ſine conſilio currit, præceps demum incurrit. Religio ne licentius curratur, eſt ex Gregorii Theologi ſententia infrenanda. Hæc igitur primum hic tibi conſideranda proponimus lector, vt primos greſſus inſpicias, quibus pedetentim itur in mortem, cum videlicet quis nouitati aditum facilem parans, à vetuſtate recedit. Immemor enim ſui propoſiti Iuſtinianus, cum aduerſus monachos Scythas ad Hormiſdam Pontificem ſcribens, nihil nouitati concedendum eſſe, fuerat (vt vidimus) conteſtatus: mutatus ſententia, nouum quippiam cupit, auctoritate tamen Apoſtolicæ Sedis, inferri. Sit Principibus omnibus in ore cordeque Prophetæ Principis illa ſententia d: *Pes meus ſtetit in directo: in eccleſiis benedicam te Domine.* ne vel pedem vnicum à linea recta quouis prætextu deflectant; ſed ingiter (quod monet Propheta e) de ſemitis antiquis interrogent, & intelligant ſe Dei eſſe ſubditos ſacerdoti. Sed iam rerum geſtarum ſeriem proſequamur.

d Pſal. 9.

e Hier. 6.

V. RECEDVNT LEGATI ORIENTALES AB VRBE.

Abſolutis igitur legatorum negotiis, ad quæ tractanda venerant: hieme tranſacta iam placido vere appropinquante, cum nauigationis tempus redditum videretur, iidem, qui miſſi fuerant Romã legati, ab Hormiſda Papa dimiſſi, diſceſſerunt ab Vrbe reuerſuri Conſtantinopolim: iis ad eos, à quibus acceperat idem Pontifex litteras reddidit. At quænam illæ, qualeſue, cuius etiam eſſent argumenti, quæ anno ſuperiori ad Hormiſdam Papam miſſæ ſunt ab Oriente: eorum, quæ ſuo loco ſuperius dicta ſunt, meminiſſe debes: nempe petitum illis, vt præter nomen Acacii, & præcipuorum nominatorum hæreticorum, quæ omnino fuerunt è Diptychis abradenda, reliquorum, qui communicatione ipſorum polluti eſſent, permanere ſinerentur, id præſertim ſumma importunitate expoſcentibus populis. Inſuper & ingeſtum fuiſſe diximus, vt dici omnino deberet Ieſum Chriſtum crucifixum vnum de Trinitate. Sed & in memoriam reuoca, quanta iſta fuerint petita & expetita diligentia atque licentia, quotque litteris iiſdemque grauiſſimis inculcata, tot arietibus Romani Pontificis tentata conſtantia, vt impoſſibile potuiſſet videri, non flecti, & cuncta petentibus non indulgere, hæc inquam omnia tibi ſunt memoria recolenda, quo ea, quæ dicẽda erunt, cum fueris aſſecutus, magis magiſque mireris.

VI. f Hormiſd. epiſt. 72. 73. 75. 76.

Hormiſda igitur cum ad Synodum, tum ad Epiphanium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, necnon etiam ad Imperatorem epiſtolas f hoc anno reddidit ſeptimo Kalend. Aprilis: extant quidem ipſæ: nos vero ex eis tres tantum reddemus, quarum duæ ſunt ad Iuſtinũ datæ, vna vero eademque nouiſſima ad Epiphanium. In harum autem illarum altera, quam ad Iuſtinum dedit Hormiſda, in eo verſatur primum, vt commendet pietatem Imperatoris ob munus legationis impenſum; mox vero reſponſionem ad ea, quæ petierat Imperator, vt reciperentur ad communionem illi, qui damnato Acacii nomine, reliquorum, qui ei communicauerant Epiſcoporum, nomina in Diptychis retinerent, ſubiicit: & de illa adeo ventilata quæſtione pertractat, num vnus de Trinitate in carne paſſus dici deberet. Sed ipſam ad Iuſtinum epiſtolam audiamus, quæ ſic ſe habet g:

g Hormiſd. epiſt. 75.

VII. HORMIS. EPIST. AD IVSTINVM IMPERAT.

Scio quidem, venerabilis Imperator, clementiam tuam conſcientia boni operis tantum eſſe contentam; nec in his quæ pro Catholicæ Eccleſiæ vnitate diſponitis, humanis laudibus indigere, & magni ſtudii gloria non digna remuneratione vileſcat. Quanta eſt enim circa eum humani ſumma præconii, cui contigit terrarum regna committi? Cum eo mixta ſint blandimenta adulationis ſuſpicioni, quæ humilitas detulerit imperanti.

Et aliàs

Margin notes: a 2. Cor. 13. b 1. Cor. 4. c Extant inter epiſt. Hormiſ.

Et aliis ſecundum Euangelicam traditionem neceſſe eſt, vt fructu ſuperna remuneratione non careat, qui retributionis laudem exſpectat. Hinc manſuetudinem veſtram, omni bonitatis perfectione pollentem, ad Deum vniuerſa, quæ memorabiliter fecitis, referre non ambigo: nec caduca cogitantes ab illo expectatis pro actuum veſtrorum retributione mercedem, quem bonorum omnium conſtat auctorem.

VIII. *Et tamen ego diuinis, quibus obſecundo, conuenio inſtitutis, ne religioſa conſcientia veſtræ beneficia conferta diſſimulem: ne taciturnitas mea, quæ vobis creſcit ad gloriam, mihi (quod abſit) vertatur in culpam. Nam enim de illis decem Domini & Saluatoris noſtri pietate mundatis, quia & nouem ſunt nota ingratitudinis improbati, & vnus teſtimonium fidei & merita recepit, & ſalutaris actionem ſanatus exſoluit. Ex quo ſalutare illud, quo gratiarum actionem ſanatus exſoluit. Ex quo exemplo, quæ didici, & quod per officij mihi crediti materiam præſto, ſub occaſione litterarij ſermonis exhibeo. Ago gratias quanto amplius poſſum, etſi quantas debeo non poſſum: ſed quanto amplius poſſum, quod de beneficijs meum veſtris mundus exſultat, & lætatur, & quod Eccleſia membra ad compagem ſuam reuocat, & ſeruantur. Reduxiſti populis fidem perſecutus errorem: inſinuata eſt ſuperbia inimicorum Eccleſiæ Dei, & humilitas reſta Fidelium. Magna res tibi contigit, Imperator magna cum emolumento cum poteſtate coierunt. Quæ merearis, intellige: Non exiguam in te partem boni operis illius, quod vadens ad cælum Dominus noſter Ieſus Chriſtus contulit, transfuſiſti: nam pacem, quam ille diſcipulis dedit, per te mundus inuenit. Non eſt dubium congratulari tibi angelos cæli: nam ſi iuxta aſſertionem Euangelicam a, lætitia eſt eis ſuper vno peccatore ſaluato, quæ poteſt eſſe populo?*

a Luc. 15.

IX. *Salue Ecclesiæ præſentis ætatis: nam etſi fuerunt ante eum Reges Iuda, qui facerent bonum, nullus tamen eorum diſſipauit Excelſa. Tu quoque obſtinatum & ſuperbiæ diſſipator, & cultus veteris teſtimonio præſente tibi ſimilitudinem illius annorum b expenda curricula, qui operum eius imitaris exempla. Hæc omnia, quæ ad maiorem gloria tua expectant augmentum, non ſtimulo adhortationis alienæ, non vllis precibus excitatus aggrederis: ſolus ipſe in conſilio Dei: non eſt, qui ſe ad participationem tanti operis tenuit inſerere: tibi debes actionis huius ſtudium, tibi bonæ actionis affectum.*

b 4. Reg. 18.

X. *Tu nos, venerabilis Imperator, Eccleſiæ veneratam longa mœrentem, ad ſpem reddendæ ſalutis animaſti. Tu me poſt tam continuas turbines iam pene deſperatione ceſſantem: ad nouam tranquillitatem, directis vltro piis litteris, excitaſti: hoc quoque procul dubio diuina intelligentia conferente, vt inter ipſa tui principatus exordia fidei conſecrares obſequium, cui acceptum debebas Imperium. Sed quia te ad incipienda hæc non potui primus impellere, nunc maiore fiducia tanti beneficiis compellor pronuntiare, ne patiaris in re tam boni operis eſſe defectum: vt manus, quas ad Deum erigis, à cœpti operis perfectione ſuſpendas. Negare non poſſum pro Domini noſtri hac me affectu & veritatis exoptare: ſed fateor, & ſaluti tua pro tanta manſuetudine gratias ſoluta me debere. Scriptum eſt enim c, quia qui perſeuerauerit vſque ad finem, ſaluus erit. Nec vos aliquorum obſtinatio reddat à propoſito pigriores. Durius eſt, vt efficacior ſit eorum pertinacia, qui diuidunt pacem, quam eorum, qui aſſerunt vnitatem. Amouentur vulnera, cum prouideantur pro ſalute remedia, & perceptabile* . . . . patetur . . . mortuis, quam inhærere cum viuis.*

c Matt. 10.

*Deſunt aliqua.

XI. *An non æquum eſt, vt religioſi Principis ſubdantur imperio, qui non mouentur exemplo? Non omnis æger remedijs ſalutaribus acquieſcit: & medendi ſtudium ſæpe ipſis, quibus adhibetur, ingratum eſt: & tamen grata eſt pro ſalute neceſſitas, nec ipſi poſt reſpirationem non ſunt beneficiis obnoxij, qui curantur inuiti.* Illa præfatus Hormiſda, mox ad ea, quæ petierat Imperator, vt ad communionem reciperentur Epiſcopi, ſinerenturque eorumdem nomina in Diptychis remanere, qui, damnatis hæreſibus, receperunt Chalcedonenſe Concilium, profeſſique Catholicam fidem, fuiſſent tamen Acacii communione polluti, reſpondet id minime concedi poſſe, cum talium communione vniuerſa ſimul inficeretur Eccleſia; atque ait:

VI. Hormiſd. reſpond. Imperat. ad petitiones.

XII. *Cauenda eſt, ſubtilium magna circumſpectione calliditas, qui augerent diſſidia, dum nituntur labefactare compoſita. Et quis hoc poſſit admittere, vt ad illa per pacem credamur adduci, ad quæ non potuimus diſcordiæ neceſſitate compelli? Et putetur æquum, vt contra ſalutem Princeps ſubiectorum voluntatem ſequatur, quam pro ſua ſalute ſubiecti Principis non famulentur imperio? Ipſam tibi mecum, venerabilis fili, crede Eccleſiam Dei ſupplicare, vt eam ſine macula & ruga (ſicut ſcis Domino placere) cuſtodias: nec in eam oculus ille, qui peruigilat, neuum aliquem, quem auerſetur, aſpiciat. Ama, quod à Deo compulſus elegiſti, & intemeratum ſerua illud, cuius pars eſſe voluiſti. Fuerit ante ſollicitudo tantum mea, nunc vnam nobis cauſam tua fecit eſſe clementia. Nunc auſteriorem me quiſquam dicat eſſe prioribus; nec adhortatio alicuius pro ſententiæ auctoritate teneatur. Diligentiorem me non pertinaciæ ſtudium, ſed ſcandala ſecuta fecerunt. Forte inter initia locus eſſe potuit lenitati: male (ſicut notum eſt) per acceſſus præcedentium temporum errorum augmenta creuerunt.*

MISDA INIVSTA PETITA.

XIII. *Non parui habeas, fili ſanctiſſime, quod curaſti. Vbi ſancta Chalcedonenſis Synodus, & inter ſanctos venerandi Papæ Leonis religioſiſſima conſtituta locum alicuius honoris habuerunt? Vbi non aduerſum tanta fidei fundamenta quaſi quoddam bellicum hoſtium Dei inſonuit exercitus? Quanto acrioribus hæc impetita ſunt iaculis, tanto validioribus ſunt munienda ſubſidijs. Rogo clementiſſime Imperator, ne me aut ad deſerenda hæc, quæ dudum beneplacita ſunt, aut mutanda compellas. Vox enim illa auribus meis indeſinenter immurmurat d: Quia nemo ad aratrum manum mittens, & poſt reſpiciens, aptus eſt regno Dei: cum in euidenti ſit, quia pœnitentia malorum eſt operum, non bonorum.*

d Luc. 9.

XIV. *Sed quamquam his vrgemur anguſtiis, tamen propter manſuetudinis tuæ conſiderationem, & venerabilium legatorum Ioannis Epiſcopi, Heracliani presbyteri, & Conſtantini diaconi allegationes non inhumana permotus, qui innocentibus aut ignaris cauſæ remedia credidit eſſe poſcenda: ad fratrem & coepiſcopum noſtrum Epiphanium ſcripta tranſmiſimus, vt memor fidei, memor religionis, quos dignos ſuſceptione eſſe crediderit, & alienos à communione, quam reſpuimus (ſicut aſſeritur) innocentes eos ad ſocietatem ſuæ communionis admittat; libelli tamen, qui à nobis interpoſitus eſt, tenore ſeruato. Melius eſt enim & magis Deo placitum, ſi ſalua fide Eccleſiaſtico corpori iunguntur abſciſſi, quam in abſciſſos tranſeant, qui in beati Petri immaculata communione manſerunt. Data ſeptimo Kalendas Aprilis, Valerio V. C. Conſule.* hactenus epiſtola Hormiſdæ ad Iuſtinum Auguſtum: ex qua plane intelligis, quod & aliàs ſæpius demonſtratum eſt, quanta videlicet Romani Pontifices cuſtodierint diligentia, quantoque ſtudio procurarint, ne pollueretur hæreticorum quauis macula Eccleſia ſancta, ſed conſeruata ſemper illibata communione Apoſtolicæ ſedis, in ſuo candore integra permaneret.

XV. Quid vero idem Hormiſda Papa eidem Imperatori reſponderit ad agitatam illam tam in Oriente, quam in Occidente quæſtionem de vno ex Trinitate paſſo in carne, poſterior eiuſdem epiſtola eo argumento conſcripta docet: cuius vt ſingula verba poſſint expendi, hic verbatim ipſa reddenda erit. Accipe igitur ex ea, quid conſultus interpellatusque magiſter Eccleſiæ è cathedra Petri reſpondeat, & quomodo omni purgatum ſcoria aurum obrizum è diuinæ ſapientiæ conflatorio depromptum petentibus eroget. Potuiſſet quidem falli quiuis homo ingenii perſpicacis (vt vere aliquos deceptos vidimus) ad impoſtorum ſubdolam artem: ſed qui clauem habebat ſcientiæ, minime circumueniri potuit; & ne alii fallerentur, eam ad Imperatorem epiſtolam ſcripſit, quam voluit (vt ipſe teſtatus eſt in litteris ad Iuſtinianum e) publicam eſſe omnibus inſtructionem. Ita quidem qui doctoris officio vniuerſæ præeſt Eccleſiæ, non Imperatorem dumtaxat, ad quem ſcripſit, erudiendum ſuſcepit; ſed omnes agentes vbique Fideles, pendentes ab ipſius ore Pontificis, expectantesque, quæ eius eſſet de re tanta ſententia, voluit erudiri. Porro ea epiſtola Orbi nota, non fiat nobis incognita, ſed hic ipſam reddamus f:

e Hormiſd. epiſt. 44.

f Hormiſd. epiſt. 76.

Hormiſda Iuſtino Auguſto.

XVI. HORMISD. AD IVSTINVM IMP. Inter ea, quæ ad vnitatem Eccleſiæ pertinentia, propter quam Dei clementia veſtræ elegit Imperium, in litteras contuliſtis: hæc quoque, venerabilis Imperator, circa fidei, cui multipliciter vos ſtuderedeclaratis, ardorem, vt aliquorum preces perſerenda ad humilitatis meæ notitiam congeruntur: quibus vel quid quæſtionis oriretur, agnoſcerem: vel ad ſummouendum propoſita conſultationis ambiguum reſponſum a me religioſa ſcientia conueniens redderetur. Legi omnia ſolicitudine, qua decebat: & licet ad reſponſi plenitudinem ſufficere potuiſſet, ſi illa tantum, quæ à veteribus ſunt definita reſcriberem; tamen vt religioſi propoſiti veſtri remunerarem affectum, non ſubtrahendum credidi mei quoque ſermonis obſequium. Quid enim eſt, quod emergentibus Neſtorij & Eutychetis venenis paterna omiſit inſtructio? pene omnes impietates cum inuentoribus tam nefandorum dogmatum conuenientia in vnum Synodica decreta preſſerunt: nec vlterius remanſit locus vllus, tam diris perfidiæ ſeminibus amputatis, aut Chriſtum Dominum noſtrum credere ſine carnis fuiſſe veritate, aut eumdem non Deum & hominem de materni vteri intemerata fœcunditate prodiiſſe; cum alter eorum diſpenſationem, qua ſaluati ſumus, negando, quantum in ſe eſt, irritam faceret; alter opinione contraria ſed impietate conſimili in eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto poteſtatem diuinam à vera humanitate ſecluderet: neque ille recordatus, quia palpandam carnem ſuam Chriſtus oſtendit; nec ille Euangelij memor, Verbum carnem factum eſſe docentis, cui vox Domini indeficienter inſonare debuerat, quæ dixit & docuit a: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit Filius hominis, qui eſt in cœlo.

DOCTRINA FIDEI SATIS A MAIORIBVS ELVCIDATA.

a Ioan. 3.

XVII. Sæpe hæc & multis præcedentium ſunt comprehenſa ſententiis: ſed nec clementia veſtra, licet tam dicta ſint, faſtidioſe poterit reperta cognoſcere: nec nobis pudor eſt, ea, quæ ſunt à prædeceſſoribus noſtris prædicta, reuoluere. Neque enim poſſibile eſt, vt ſit diuerſitas prædicationum, vbi vna eſt forma veritatis; nec abre iudicabitur alienum, ſi cum his, cum quibus conuenimus fide, congruamus & dogmate. Reuoluantur pia manſuetudinis veſtræ auribus decreta Synodica, & beati Papæ Leonis conuenientia ſacræ fidei conſtituta; eadem inueniet in illis, quæ recenſuerit in noſtris. Quid ergo eſt poſt illum fontem fidelium ſtatutorum? quid amplius (ſi tamen fidei terminum ſeruat) quamlibet curioſus ſcrutator inquirat, aut opere, aut inſtitutione perfectius? niſi forte maluit quiſquam dubitare, quam credere; certare quam noſſe; ſi qui dubia quam ſeruare decreta.

XVIII. b Deut. 6. DIVINA SVBSTANTIA SINE NVMERO INDIVISA. Nam ſi Trinitas Deus, hoc eſt, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, Deus autem vnus ſi cualiter legiſlatore dicente b: Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt: qui aliter habet, neceſſe eſt aut diuinitatem in multa diuidens, aut ſpecialiter paſſionem ipſi eſſentiæ Trinitatis impingat, & (quod abſit à Fidelium mentibus) hoc eſt aut plures deos more profano Gentilitatis inducere, aut ſenſibilem pœnam ad eam naturam, quæ altera eſt ab omni paſſione, transferre. Vnum eſt, ſancta Trinitas non multiplicatur numero, non creſcit augmento: nec poteſt aut intelligentia comprehendi, aut hoc quod Deus eſt, diſcretione ſeiungi. Quis ergo illud ſecreto æternæ impenetrabilique ſubſtantiæ, quod nulla vel inuiſibilium naturarum potuit inueſtigare natura, profanam diuiſionem tentet ingerere, & diuini arcana myſterij reuocare ad calculum moris humani?

XIX. * indiuiſam. Adoremus Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, indiſtinctam * diſtincte, incomprehenſibilem & inenarrabilem ſubſtantiam Trinitatis: vbi etſi admittit numerum ratio perſonarum, vnitas tamen non admittit eſſentiæ ſeparationem: ita tamen, vt ſeruentur diuinæ propria naturæ, ſeruentur propria vnicuique perſonæ: nec perſonis diuinitatis ſingularitas denegetur, nec ad eſſentiam hoc quod eſt proprium nominum, transferatur. Magnum eſt ſanctæ & incomprehenſibile myſterium Trinitatis, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, Trinitas indiuiſa: & tamen notum eſt, quia proprium eſt Patris vt generaret Filium, proprium Filij Dei, vt ex Patre Patri naſceretur æqualis, proprium Spiritus ſancti, vt de Patre & Filio procederet ſub vna ſubſtantia Deitatis.

XX. c 1. Pet. 1. Ioan. 1. DE VERBI INCARNATIONE. Proprium quoque Filij Dei, vt iuxta id, quod ſcriptum eſt c, in nouiſſimis temporibus Verbum caro fieret, & habitaret in nobis; ita intra viſcera ſanctæ Mariæ Virginis genitricis Dei vnito vtriſque ſine aliqua confuſione naturis, vt qui ante tempora erat Filius Dei, fieret Filius hominis, & naſceretur in tempore hominis more, matris vuluam natus non aperiens, & virginitatem matris Deitatis virtute non ſoluens. Dignum plane Deo naſcente myſterium, vt ſeruaret partum ſine corruptione, qui conceptum fecit eſſe ſine ſemine, ſeruans quod ex Patre erat, & repræſentans quod ex matre ſuſcepit: nam iacens in præſepio, videbatur in cœlo; inuolutus pannis adorabatur à Magis; inter animalia editus, ab Angelis nunciabatur; vix egreſſus infantiam, & annuncians myſticam fide inſtituente doctrinam, inter rudimenta annorum puerilium edens cœleſtia ſigna virtutum.

XXI. Idem enim Deus & homo, non (vt ab infidelibus dicitur) ſub quarta introductione perſonæ, ſed ipſe Dei Filius Deus & homo, id eſt, virtus & infirmitas, humilitas & maieſtas, redimens & venditus, in cruce poſitus & cœli regna largitus, ita noſtræ infirmitatis particeps, vt poſſet interimi, ita ingenita potentia Dominus, ne poſſet morte conſumi: ſepultus eſt iuxta id, quod homo voluit naſci, & iuxta id, quod Patri erat ſimilis, reſurrexit, patiens vulnerum & ſaluator ægrorum, vnus defunctorum & viuificator obeuntium, ad inferna deſcendens & à Patris gremio non recedens: Vnde & animam, quam pro communi conditione poſuit, pro ſingulari virtute & admirabili patientia mox reſumpſit.

XXII. Hæc ita eſſe, nec vllam dubitationem oportere recipere, idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ne inter corporis paſſiones Deus non eſſe crederetur, aut ne Deus tantum & non homo inter operationes mirabilium ſtupenda virtutum propoſito nos duorum Apoſtolorum informauit exemplo, Deum eſſe Chriſtum Dominum noſtrum Petri fide, hominem Thomæ dubitatione declarans. Quid enim intererat, vt quem ſe homines dicerent, diſcipulos ſuos vellet inquirere d, niſi vt reſpondente Petro, Tu es Chriſtus Filius Dei viui, notum faceret, hoc non de carne & ſanguine proditum, ſed à Patre inſpirante reuelatum, & per teſtimonium laudatæ reſponſionis fides patefacta fieret veritatis? Quid intererat, vt apparente poſt reſurrectionem Domino, Thomas e tamen aut deeſſet cæteris, aut ſolus ambigeret, niſi vt mundus crederet, quod ambigens diſcipulus exploraret; vt dum vnius manibus ſe pateretur tangi, ad vniuerſitatem Fidelium quid eſſet, poſſit agnoſci? Non ergo ad improbandum diſcipulum interpoſita eſt dubitatio, ſed quæſita poſteritatis inſtructio. An ne ad aliud ſpectat, quod ſe idem Dominus Cleophæ cum alio diſcipulo, cum ad Emaus tendentes f de ſe loquerentur, inſeruit; & quemquam de reſurrectione Domini per mulieres, quæ prime ad monumentum conuenerunt, agnouiſſent; tamen vt per eorum dubitationem daret credendi futuris ſeculis firmitatem, incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis, oportuiſſe pati Chriſtum; & ita intrare in gloriam ſuam, interpretatus Scripturas oſtendit, & per paſſionem humanam naturam, & diuinam in eo eſſe per gloriam, multipliciter hæc ſanctarum Scripturarum teſtificatus exemplis.

d Matt. 16.

e Ioan. 20.

f Luc. 24.

XXIII. Hæc apud religioſam conſcientiam tuam, venerabilis Imperator, non tamquam ignota dicuntur. Fides enim ipſa, quæ à te conſtanter aſſeritur, ſibi reddit hoc muneris, vt ſenſibus tuis & affectum ſui inſeriat, & ſcientiam, per quam diligentius aſſeratur, infundat. Et tamen intereſt diſpenſationis mihi creditæ, vt ego quoque vel apud ſcientes nota non taceam; vt ſuccedente ſibi per vices temporum Catholicorum prædicatione ſenſuum, quod indeſicienter aſſeritur, ſine fine credatur.

XXIV. Latius hæc, quæ ad Deitatem humanitatemque Domini noſtri Ieſu Chriſti pertinent, & in eo vnitas duas ſine confuſione naturas, potui ſecundum veterum definita diſſerere, ſi eſſet aduerſum eos, qui hæc diſſentiunt, diſputandum: ſed cum in manibus omnium ſint & Synodica conſtituta, & beati Papæ Leonis dogmata; perſtrinxiſſe potius pauca, quam euoluere credidi conuenientibus vniuerſa. Nunc vero agnoſcere ſatis eſt, & cauere ita proprietatem & eſſentiam cognoſcendam, vt ſciatur quid perſonæ, quid non oporteat deferre ſubſtantiæ: quæ qui indecenter ignorant, aut callida impietate diſſimulant, dum omittunt, quod ſit proprium Filij, trinæ intendunt inſidias vnitati. Sed ſi quæ prædicta ſunt, validis teneantur fixa radicibus; nec à paterna traditione receditur, & conſtanter quæſtionibus obuiatur. Data ſeptimo Kal. Aprilis, Valerio viro clariſſimo Conſule.

XXV. His igitur, hæc de myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis & diuinæ Verbi incarnatione Hormiſda Pontifex ſcripſit (vt dictum eſt) Imperatori, quo omnibus Fidelibus profuturo promulgaretur vbique, & ſic fixa ſacra anchora fidei, haud ventis ... ipſa

Chriſtus

Chriſtiana religio pateret expoſita, arbitrioque nouantium impelleretur in ſinus Eutychianæ blaſphemiæ: ita plane opportune monentis prædicantis, atque importune ob maximum rei pondus clamantis, qui Petri clauum tenenti aſſidet, Paulo a: Proſar gu a 2. Tim. 4. *vocum nouitates deuita.* explodendaque tunc penitus nouitas fuit, quantumlibet præſeferret ſpeciem pietatis & veritatis, cum captioſe ab Eutychianis diceretur vnus ex Trinitate paſſus. Latro plane atque fur quiſque aliunde aſcendens, & non per patens oſtium intrans, verbis b Domini eſſe conuincitur. b Ioan. 10. Etenim ſi cor eorum rectum cum Deo fuiſſet: vtique per viam à Patribus omnibus tritam, & Fidelibus calcatam perambulaſſent; atq; ſanctiſſimè, & abſque ambiguitatum ambagibus dictum ab eis plane fuiſſet, more maiorum, Deus Filius in carne paſſus, ipſum Verbum caro factum paſſum, ſiue ſecunda Trinitatis perſona, aut ſuppoſitum, ſiue ſubſiſtentia in carne paſſa. Cum igitur tot vſurpatis à Patribus nomenclaturis veritas Catholica adeo copioſe pandatur: quid in ambiguitatis anguſtias eamdem comprimendam oportuit conieciſſe? Rectam amat viam, perſpicuamque cupit Catholica fides, vitat obliqua, ſecreta refugit, anfractus declinat, neſcit deuia, vel inacceſſa, in quibus ſcit poſſe occultari latrones. vnde vel ex hoc ipſo iure quiſquis in ſuſpicionem adduci poſſit hæreticæ prauitatis, quantumlibet pietatis ſpeciem præſeferat, cum à communi Eccleſiæ traditione vocibuſque receptis abhorret.

XXVI. Admiranda ſane Hormiſdæ ſtantis ſuper ſpeculum ſedula vigilantia, & imitandum poſteris exemplum curæ ſacerdotalis, dum & à longe odoratus inſidias, ex eminenti cathedra, vt dolos caueant, cunctis Fidelib. clamat: ſpectandum plane, ſectandumque pariter, quod edidit dignum ſpecimen inconcuſſi roboris Pontificii, dum tot litteris flecti, vel latum vnguem moueri minime paſſus eſt à prædeceſſorum veſtigiis, quibus firmiter inſiſtebat: cum alioqui propoſitas nouas voces abſq; fidei præiudicio appoſita interpretatione, ob bonum pacis (vt aiebant) recipere potuiſſet; vt à ſucceſſoribus factum eſt poſtea, vbi ſuſpicio procul abfuit, & cauſa recens emerſa fieri perſuaſit: modo verò recta ratione aliud ab eo exigente, noluit eiuſmodi patere perfidis aditum, nec per ſecretum acceſſum quempiam mentita teſſera pietatis admittere, ſciens carere poſtico domum Dei, vnamque ſolum patere cunctis introeuntibus ianuam Catholicæ veritatis, per quam dumtaxat ſi quis introierit, ſaluari poſſit.

XXVII. His itaque decretis, ſcriptiſque ad Imperatorem Hormiſda, vt ſedulo cuſtodirentur in Oriente, nouitaſque iſta verborum penitus deleretur, ac ne reciperentur, qui in communicatione Acacii defuncti eſſent: hæc vt penitus ſeruarentur, ſuas vices legauit idem Pontifex Epiphanio Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui Apoſtolicæ ſedis nomine lapſos cum libellis reciperet; ita tamen vt (ne quid ſubreperet hæreticæ communionis fermenti) ſingulorum libellos Romam ad ipſum Pontificem mitteret. tantum enim abfuit, vt quod petebant Imperator & alii, vt fineret ob bonum pacis ad Eccleſiam admitti populos, qui tenaciſſimi erant nominum ſuorum Epiſcoporum communicatione Acacii pollutorum, vt nec recipi, vel vnum pati voluerit, libello non penitus explorato, Romamq; miſſo. Quibus intelligas, quanta ſuper omnes Romanus Pontifex polleret auctoritate, licet adhuc ſub Rege Gotho ipſa Romana degeret Eccleſia. Sed deſcribamus epiſtolam ipſam, quam polliciti ſumus, eodem argumento, quo & ſcripſerat ad Imperatorem, ad Epiphanium ab Hormiſda datam, quæ ſic ſe habet:

XXVIII. c Hormiſd. epiſt.

Hormiſda Epiphanio Epiſcopo Conſtantinopolitano.

c *Multo gaudio ſum repletus, quod circa Eccleſiæ pacem & ſanctiſſimi Imperatoris & dilectionis tuæ tale ſtudium, quale litterarum indicaſti, legatorum quoque meorum aſſertione cognoui. Manifeſta enim tunc ſuperna miſericordiæ documenta produntur, quando & humani Principes cauſam fidei cum Reipublicæ ordinatione coniungunt; & Eccleſiarum Præſules, quod ad diſpenſationem ſuam pertinet, officii memores exequuntur. Talibus indigebat poſt diſcordiæ procellas religio Chriſtiana rectoribus, qui compreſſis prouida diſpenſatione turbinibus, diu peregrinatam pacem depulſa tempeſtate, reducerent; & in futura ſæcula propoſiti ſui exempla tendentes, ſibi aſcribendum indubitanter oſtenderent, quicquid Deo placitum poſteri pro ſua imitatione feciſſent.*

Benedicamus Deum, frater chariſſime, noſtris hoc diebus fuiſſe conceſſum; & totis orationum & curarum viribus annitamur, vt quæ per Dei noſtri opem bene correcta ſunt, ipſo adiuuante, per omnia compleantur. Sperandum enim eſt, vt ad compagem corporis ſui reliqua quoque, quæ adhuc diuiſa ſunt, membra feſtinent, & à potioribus minora non diſcrepent. Ad quod cum me dilectionis tuæ Chriſtianæ ſtudio charitatis hortetur; debet, quod incitat, ſequi; & quod amandum ſuadet, amplecti. Similem enim iam fidei curam gerentes, per religioſam patientiam par etiam præmium de boni operis ſperandum effectu: neque enim difficultatibus eſt cedendum. Non fatigatur aſperis fides; nec ad cœlorum ardua per procliue contenditur; nec remunerationem citra laboris exercitia quis meretur. Vnde ne facientes bona deficiamus, ſpecialiter admonemur d. Beati etiam teſte Pſalmiſta e, qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore: quia non initium laboris remunerationem præmii conſueuit inuenire, ſed terminus. Ergo per ſtudium ſolicitudinis aſſumentes, quibus eſt vna in communione & credulitate ſocietas, quemadmodum de adunata ſedi Apoſtolicæ Conſtantinopolitana Eccleſia pariter exultamus in Domino, ita de reliquorum quoque (ſicut affectuoſe admones) redintegratione: curemus primum, vt fidem, integritatemque noſtram immaculatam ab omni contagione ſeruemus. Noſti enim, frater ſanctiſſime, quæ Eccleſiaſticam ſeruent vincula concordiam, quæ nos ab hæreticorum tueantur inſidiis, per quæ etiam canonum cuſtodiatur auctoritas. His in robore ſuo omni circumſpectione ſeruatis, remedia ſperantibus conferantur. XXIX.

d Gal. 6. e Pſal. 105.

Habet enim & eccleſiarum ordo regularium & ipſius forma iuſtitiæ, vt medicina rationabilis benigne & fideliter ſperantibus non negetur: nec quiſquam ita eſt ab humanitate diſcretus, quem non à rigore diſcretionis inclinet incauta ſimplicitas. Sed vt caute hoc citra querelam, aut erroris alicuius nexum valeat expediri, dilectiſſime frater, perſonam meam & in hoc oportet inducere, ſcientem & in huiuſmodi cauſis (ſicut prædictum eſt,) quid faciendum ſit, quid cauendum: ita omnia prouidenda, vt non ambigas rationem diſpenſationis huius Deo eſſe reddendam: ita tamen, vt eos, qui fuerunt vobis communione ſociati, vel per eos ſedi Apoſtolicæ, veſtra nobis ſcripta declarent, quibus etiam continentia libellorum, quos obtulerint, inſeratur, ſic enim & Seueri, vel complicum eius, vel ſimilium abſoluemus errores; nec eorum, qui ſanari potuerint, diſpendia patiemur. Quod ideo ſpecialiter vobis credimus imponendum, ad diligentiam veſtram noſtra onera transferentes: quia non parua iam documenta, reſiſtentes hæreticis, ediſtis: nec debet de eo ambigi, quem heres integeris explorari. Simul aſſume remedia medicinæ, ſimul accingere auctoritate iuſtitiæ; & ſic circa ſupplices auctoritate mollire, vt in hæreticorum contagione perdurantes, aut eos, qui innocentiam ſimulant, & cum noſtris ſola voce conſentiunt, ab his, quibus pro Eccleſiæ redintegratione conſulitur & prouidetur, excludas, nec enim expedit circa hos Eccleſiaſticam temperare cenſuram. Non enim erunt miſerationis bona pro eorum, quibus conſuli oportet, neceſſitate collata, ſi indiſcrete fuerint bonis maliſque communia. XXX.

SVAS VICES DELEGAT EPIPHANIO HORMISDA PAPA.

Et quia Hieroſolymitarum quoque faciebat in ſuis litteris tua dilectio mentionem, quorum etiam ad nos quædam delata profeſſio: neceſſarium duximus vel recenſere, quæ ſcripta ſunt, vel reſpondere, quæ congrua. Qui ſi ſanctorum Patrum conſtituta cuſtodiunt, ſi illa fidei fundamenta venerantur, ab his, quæ per eos, ſancto Spiritu compungente, definita ſunt, non recedant. Aut enim perfecta ſunt, ita vt ſunt & adiectione nõ indigent; aut bene valida, & ideo non mutanda; quando per ea omnia hæreticorum venena compreſſa ſunt: nec quicquam Chalcedonenſis Synodus, quod vtile qualibet diligentia potuiſſet excogitare, præteriit, quæ præcedentium quoque dogmata vel clarius manifeſtauit, vel repetita auctoritate firmauit, ſpeciale quoddam ad XXXI.

DE CAVSA ECCL. HIEROSOLYMITANÆ.

uerſus

uerſus Neſtorium & Eutychetem aggreſſa certamen, alterum Deitatem Dei noſtri Ieſu Chriſti à carne ſeparantem, & ideo ſanctam Mariam Dei genitricem pronuntiare vitantem, alterum veritatem carnis in Domino renuentem, quando Dominus noſter Ieſus Chriſtus idem Filius Dei, idem Filius hominis, vna in duabus perſona naturis, diuinitatis & humanitatis carnis, nec naturis adunatione confuſis, non velut quarta perſona addita Trinitati, ſed ipſe Filius Dei exinaniens ſemetipſum & formam ſerui accipiens a*: propter quod & vnam nec diuiſibilem profitemur eſſentiam Trinitatis, & proprietatem tamen ſuam ſinimus ineſſe perſonis, vnam Patris, vnam Filij Dei cum aſſumpta carne, vnam Spiritus ſancti, & perſonas proprietatibus deſignantes, & per vnitatem eſſentiæ ineffabile Trinitatis myſterium confirmantes.*

a Phil. 2.

XXXII.

Neque enim ambigi poteſt, Verbum Dei intra matris viſcera per carnem humanam aſſumpſiſſe naturam, nec poſt à ſe intra vuluam naturam vnitione diuiſam: nam vt humanitas ſine Deo edita ſic in cruce non eſt impaſſibilis diuinitas à carnis paſſione diuiſa: quod Virginis partus & intemerata fecunditas, & ſingularis a mortuis reſurrectio, & ad cælos declarat aſcenſio. Hæc ſi quemadmodum à Patribus conſtituta ſunt, ſeruent, credant, non deſinita tranſcendant: à quo tramite qui declinant, ipſi ſibi nebulam dubitationis offundant. Nobis autem illud Apoſtolicum contentioſis reſpondere neceſſe eſt b*: Nos hanc conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei. Hæc ideo breuiter, quia nec ambigere conuenit de rebus iuxta ſtatam ſæpius definitis, & pene ſuperuacua eſt allegatio, quæ adhibetur inſtructis, cum ſuper hac re & ad clementiſſimum Principem filium noſtrum non pauca perſcripſerim.*

b 1. Cor. 11.

XXXIII.

Et quia de Hieroſolymitanorum propoſitione reſpondimus: hoc quoque æſtimauimus ſalutis eorum cauſa competenter addendum: vt ſi communionis Apoſtolicæ deſiderant vnitatem, profeſſionem ſuam ſcripto inditam, quam legatis noſtris apud Conſtantinopolim poſitis obtulerunt, aut per ſuos ad nos dirigant, aut fraternitati veſtræ tradant, eodem tamen (ſicut diximus) tenore conſcriptam, quæ ad nos modis omnibus ſub veſtra ordinatione deferatur. Nam de Theſſalonicenſibus, quorum ad nos legati ſub clementiſſimi & fideliſſimi Principis filij noſtri ordinatione venerunt, ne quid omiſiſſe credamur, noſſe vos volumus, ſecundum hoc quod Domino noſtro Ieſu Chriſto inſpirante placuerit, cauſam omnem noſtri diſpoſitione tractandam: Et ſi quod oportet, impleuerint, ordinanda hæc per fratrem noſtrum & coepiſcopum venerabilem virum Ioannem, ſed & filios noſtros Heraclianum preſbyterum & Conſtantinum diaconum Eccleſiaſtico honore digniſſimos. Ad cauſam pertinentia conſcripſiſſe contenti, gratulatiſſimus in viro ordinis noſtri per meritum & religioſum nos meruiſſe propoſitum, & cum legatione mandata ſapientia & moribus congruentem. Votiua enim res & plena gaudij eſt, vt ſint iuſta æſtimatione probabiles, quos communionis & officij contigerit eſſe conſortes: Data ſeptimo Kalendas Aprilis, Valerio viro clariſſimo Conſule. hactenus ad Epiphanium Hormiſda Papa.

XXXIV. DIMISSI ORIENTALES LEGATI.

Sic igitur his pro reſtitutione lapſorum decretis legibus, & de fide Catholica confirmatis veteribus ſanctionibus, quomodo occurrendum hæreticis, atque ſubueniendum ſchiſmaticis foret, ita vt ex omni parte integritati fidei & puritati Catholicæ communionis conſultum eſſet, Hormiſda detentos hieme Romæ legatos de omnibus optime inſtitutos, & de inſtitutis plene perſuaſos in pace dimiſit, cuncta ſe obtinuiſſe putantes; dum licet non illa ipſa, quæ venerant, rogatum, tamen quæ veritati eſſent conſentanea, traditionibus conſona, diuinis legibus conſentientia, ſacris canonibus congruentia, petentibus vtilia, dantibus non indigna aſſecutos ſe eſſe ſentirent.

XXXV. QVID PRÆSTANDVM A ROMANIS PONTIFICIBVS.

Exemplum plane ab Hormiſda eſt poſteris traditum Pontificibus, quod acceptum ipſe à maioribus reliquit integre cuſtoditum, non ob gratiam Imperatorum, vel Regum quantumlibet importune petentium, non precibus quorumlibet magnorum Antiſtitum vel Synodo ad id præſtandum vrgentium, non cuiuſuis dignæ cauſæ prætextu, quo magnarum etiam prouinciarum reſtitutionem fieri pollicerentur, debere Romanos Epiſcopos, quibus curæ eſt cuſtodire depoſitum Chriſtianæ religionis, vel minimum quid deflecti, cum a maioribus accepta fides vel læditur, aut in ſuſpicionem adducitur, vel traditio ſauciatur, aut illibata ſemper exiſtens communicatio Catholica cuſtodita polluitur. Stet igitur aduerſus Principes indigna conantes Petri ſacerdotale robur immotum, cui & portæ Inferi, promiſſione Domini, præualere non poſſunt.

XXXVI. PAVLVS EPISCOPVS ANTIOCH. SE ABDICAT.

Inter hæc autem Antiochena Eccleſia diu ab hæreticorum anteſignanis poſſeſſa, licet, illinc fugato Seuero, Catholicus (vt vidimus) Paulus datus eſſet Antiſtes, tamen magnopere fluctuauit, non hæreticis (vt prius) iugiter tumultuantibus, vel ipſis ciuibus inter ſe mutuo confligentibus; ſed quod dolendum fuit, qui illi Præſul datus erat Paulus, ita moribus labefactatus apparuit, vt tantum abfuerit, quod per ipſum ad Catholicam communionem hæretici reſtituerentur, vt etiam Orthodoxi ab ipſius communione deſciſcerent, immo & eius domeſtici ob eam cauſam ab ipſo defecerint: Quamobrem cum etiam eo tempore, antequam legati Apoſtolicæ ſedis recederent Conſtantinopoli, aduerſus eum iiſdem legatis accuſationum libelli darentur, & poſt eorum diſceſſum aliæ multiplicarentur de ipſo querelæ; male ſibi conſcius miſer ſponte ſe abdicauit. O mortalium iudicium in perſonis deligendis infirmum! Qui tanta habita circumſpectione legatorum inprimis Apoſtolicæ ſedis, Imperatoris, Conſtantinopolis Patriarchæ, & aliorum ibi degentium Epiſcoporum, miro omnium conſenſu delectus eſt ex multis, tanto omnium præconio celebratus & acclamatus; ille ipſe omnium deterrimus prodit atque nefandus, vt ex his intelliges litteris, quas ineunte menſe Maio Iuſtinus Imp. ad Romanum Pontificem dedit his verbis c:

c Extant inter Hormiſd. Papæ epiſt.

Iuſtinus Auguſtus Hormiſdæ Papæ.

XXXVII. IVSTINVS AD HORMISDAM DE PAVLO ANTIOCH. EPISCOPO.

Vt quod in Paulo viro venerandiſſimo contigit, Apoſtolatui veſtro pateat: qui ſacerdotio præditus Antiochenæ ciuitatis, ita verſatus eſſe dicitur in multis cauſis, quæ religioſis aliena ſunt Epiſcopis, vt clericorum ſuorum proditione, habitatorum etiam dictæ ciuitatis, aliorum inſuper frequentibus inſimularetur, non tantum legatis veſtræ ſanctitudinis in hac regia poſitis vrbe (vt ipſos quoque retinere cenſemus) verum poſt eorum receſſum: qui male conſcientia ſua victus teſtimonio, vtpote inſuper, ne quæſtione habita, grauiorem formam exitus res poſceret; recuſatoris libellos obtulit, vt liceret ei ſecedere à ſuſcepta (ſicut dictum eſt) Epiſcopatus officio.

XXXVIII.

Quoniam igitur cordi nobis eſt & fuit, vt ſemper ciuitatum Antiſtites in amore ſint omnium communi, quorum regendas acceperunt animas. Paulus autem vir venerandiſſimus viro ſe de ſua (prout memorauimus) abdicauit ſacerdotio; præſentem epiſtolam duximus dirigendam, vt vobis aperiatur, & orationibus propriis cæleſte nobis auxilium dignemini acquirere. Data Kal. Maij, Conſtantinopoli, Iuſtiniano & Valerio VV. CC. Conſulibus. Scripſit & de his Epiphanius Conſtantinopolitanus Antiſtes ad Romanum Pontificem epiſtolam, cuius eſt exordium: *Frequentiores quidem litteras ad veſtram beatitudinem, &c.* Licet autem quæ Pauli crimina fuerint, neuter explicet: ſatis tamen fuiſſe enormia, ex eo quiſque poterit exiſtimare, dum ſuis litteris Epiphanius teſtatur, ob eam cauſam nonnullos ſcandalum paſſos, ſeſe ab Eccleſia Catholica ſeparaſſe, ea opinione falſa deceptos, haud rectam eſſe poſſe fidem, vbi adeo praua facta viderent: ſed valde puſilli eſt animi, debiliſque ingenii, immo & inſanæ mentis indicium, fidem ex factis hominum, non ex Dei verbis iudicare ſinceram. Sed qui ſe abdicando, hominum ſententiam euitaſſe putauit, diuinum iudicium non effugit, quo dira admodum eſſe parata ſcandalum inferenti, teſtatur Euangelica d veritas: vocatus eſt enim mox ad terrificum tribunal Dei: nam poſt abdicationem cito morte præuentum fuiſſe Paulum, in locumque eius ſubrogatum Euphraſium, Euagrius ita docet e *Paulus cui dabatur mandatum, vt concilium Chalcedonenſe palam prædicaret, ſua ſponte deſerens Antiochiam, certo iam vitæ curſu confecto, commune vniuerſæ carnis iter ingreditur. Cuius Epiſcopatus ſedem Euphraſius Hieroſolymis Antiochiam profectus capeſſit.* hæc Euagrius. Sediſſe vi-

DEI VINDICTA IN PAVLVM EPISC. ANTIOCH.

d Matt. 18.

e Euag. lib. 4. cap. 4. in fin.

ſus eſt

ſus eſt Paulus annos duos tantum inchoatos: quomodo autem contigerit Euphraſij electio, latet.

XXIX. Quæ vero poſt hæc Hormiſda reſcripſerit, quæue alia operoſiſſimus Pontifex de aliis emergentibus rebus Eccleſiaſticis egerit vſque ad ſequen. biennium, quo ſuperſtes fuiſſe reperitur, (et noſtra facie rerum geſtarum & perſecutorum ſcientia) hactenus ex epiſtolis ipſius nobis illorum temporum, quæ hactenus penitus remanſerunt, in hunc vſque annum codices Vaticanus & Auellanenſis exhibuerunt nobis Hormiſdæ & aliorum ad ipſum datas epiſtolas, poſt hæc autem altum ſilentium. Verum ex rebus ſuperius honorificentiſſime geſtis, cetera quoq; ad obitum vſque eadem felicitate propagata eſſe, exiſtimari facile poteſt.

II. Hoc etiam anno iuſſu Iuſtini Imperatoris datus eſt Catholicis Alexandrinæ Eccleſiæ Catholicus Antiſtes Aſterius nomine, hæreticis tamen impio Timotheo inhærentibus, haud enim paſſurus erat Orthodoxus Imperator tantam Eccleſiam Catholico carere Pontifice, quæ ſub hæreticis Imperatoribus Anaſtaſio atq; Zenone graui damno ab hæreticis detenta fuit Epiſcopis. Habes ergo interceſſum eſſe Nicephori Chronicon, in quo deſiderantur Aſterius Orthodoxus; quem Acta Aretæ martyris & ſociorum, de quibus dicturi ſumus anno ſequenti, quam fideliſſime produnt. Certe quidem nulla patiuntur ratio, vt dicatur ſub omnium maxime pio Imperatore caruiſſe Eccleſiam illam aliquo Epiſcopo Orthodoxo, et apud eum melioris eſſe conditionis videremur hæretici, quam Catholici.

III. Hoc inſuper anno, ſub dictis Conſulibus, ſancta Brigida Scota virgo in Hibernia diem clauſit extremum, hac in Chronico gentilis ipſius Marianus Scotus, cui potius aſſentiendum putamus, quam iis, qui ante biennium defunctam ponunt. Erupit è glacialibus oris flos ille virginitatis Domino offerendus, ex quo ager ille dignus foret benedictionibus locupletandus: ita quidem: cum ſanctiſſimis & Apoſtolicis viris fœcundiſſima exſtitit, feminiſque magnitudine animi ſuum nescientibus ſexum, & viros virtutibus ſuperantibus; quarum quidem, præter vetera, extant exempla recentia haud ſine vulgaria, de his ſuis opportune locis dicendum erit. Porro Acta præclara huius clariſſimæ virginis extant a, quæ pro animi arbitrio quiſque conſulere poterit: diem vero natalem eius anniuerſariis cyclis Eccleſia Catholica ipſis Kalendis Februarii digna memoria celebrandam proponit.

IESV CHRISTI
Annus 522.

HORMISDÆ PAP. Annus 9. IVSTINI IMP. 5. THEODORICI REG. 30.

I. QVi ſequitur Chriſti annus quingenteſimus vigeſimus ſecundus, clariſſimorum virorum Symmachi atque Boëtij Conſulatu aperitur. Hic namque ille Symmachus eſſe videtur, ad quem idem Boëtius ſcripſit commentarium illum, cuius eſt titulus: *Quomodo Trinitas ſit vnus Deus*, cuius viri pariter mentio habetur in Hormiſdæ Papæ epiſtola b ad legatos: ex qua colligi poſſe videtur, Orientalem Senatum dediſſe Symmachum, Occidentalem vero Seuerinum Boëtium exhibuiſſe Conſulem. Porro Boëtij tertius hic numerandus erit conſulatus, ſi qui ſuperioribus temporibus recenſentur duo Seuerini Boëtij Conſulatus, vnius eiuſdemque Boëtij extiterunt. Sed emendes velim apud Bedam, vbi mentio habetur de tertio Boëtij Conſulatu verbis illis: c *Boëtius vir illuſtris, qui & Patricius fuit, tertium cum Symmacho geſſit Conſulatum: ad hunc pauperculæ Britannorum reliquiæ mittunt epiſtolam, &c.* emenda, inquam, eodemque loco, Boëtij, *Aëtium*, cuius tempore ea, quæ ſcribit, fieri contigerant, vt ſuo loco ſuperius dictum eſt: contigit enim Conſulatus Aëtij cum Symmacho pariter collega anno Domini quadringenteſimo quadrageſimoſexto.

II. Quod autem ad eiuſdem Boëtii tertium Conſulis de Trinitate ad Symmachum elucubrationem pertinet: præſtare conſueuit hæc ingenium feraciſſimum Theologicis quoque inſtitutionibus non leuiter quidem tinctum, ſed apprime imbutum occaſione emergentium diſputationum, quæ his temporibus crebræ erant. Cum & blaterantibus inſipientibus quibuſdam ſciolis, & de ſacris dogmatibus magno periculo iiſdem inſciis diſputantibus, idem Boëtius aduerſus errorem Neſtorii & Eutycheris diſertum commentarium ſcripſit de duabus naturis & vna perſona Chriſti: in quo ſicut in eius tractatione præfefert Theologum diſertiſſimum, ita & in fine operis (qualem decet eſſe Eccleſiaſticum tractatorem) ſe exhibet modeſtiſſimum, dum hæc perorat, quæ vt memoria digna ſpectanda proponimus.

III. *Hæc ſunt*, inquit, *quæ ad te de fidei meæ credulitate ſcripſi. Qua in re ſi quid perperam dictum eſt; non ita ſum amator mei, vt ea quæ ſemel effuderim, meliori ſententiæ anteferre contendam. Si enim nihil eſt ex nobis boni: nihil eſt quod in noſtris ſententiis amare debeamus. Quod ſi ex illo cuncta ſunt bona, qui ſolus eſt bonus: illud potius bonum eſſe credendum eſt, quod illa incommutabilis bonitas atque omnium bonorum cauſa præſcribit.* ita quidem ipſe, Deo accepta ferens omnium auctori, quæcunque aduerſus hæreticos fuerit ſcribendo conatus; ex quo ſententiam Domini ita dicentis intelligas d: *Qui quærit gloriam eius, qui miſit eum, hic verax eſt*: & e *Qui ex ſemetipſo loquitur, mendax eſt*. Sunt hæc plane ſymbola, quibus à Deo miſſos, & qui à Deo inſpirati loquuntur, intelligas, cognoſcaſque legitimos verbi Dei diſpenſatores, à quibus f potiſſimum illud exigitur, vt fidelis quis inueniatur. Adiecit iiſdem ferme temporibus in eodem argumento verſatus, *Vtrum Pater & Filius & Spiritus ſanctus de Diuinitate ſubſtantialiter prædicentur*. Inſcripſit enim hoc titulo perbreue opuſculum ad Ioannem Eccleſiæ Romanæ diaconum, fortaſſe illum, qui Hormiſdæ in ſede ſucceſſit: At de Boëtio Conſule hactenus, quem parum nobis fuit oſtendiſſe Conſulari purpura illuſtratum, niſi ex patrocinio Catholicæ fidei maioribus exhibuiſſemus ſplendoribus auctum. Sed iam ſub tanto Conſule res anni huius geſtas narrare aggrediamur.

IV. Hoc eodem anno, Traſamundus Rex Vuandalorum in Africa, cum regnaſſet (vt ait Procopius g) annos viginti ſeptem & amplius menſes quatuor (vt addit Iſidorus h) ex hac vita deceſſit, inſtar Antiochi, deſperatione rerum bellicarum ſiniſtre cedentium nimium afflictatus. Iuſto namque Dei iudicio factum eſt, vt pulſis, relegatiſq; omnibus Orthodoxis Epiſcopis, ipſe dire infeſtaretur à Mauris, ab iiſdemque longe imparibus numero vinceretur, quod cum paulo ante eius obitum accidiſſe Procopius tradat, hic nos opportune pergratam ab ipſo ſcriptam recenſeamus hiſtoriam: ait enim i:

Sub hoc item Vuandali magnum à Mauruſiis (ita nominat Mauros) *incommodum accepere, quale nunquam antea contigit. Cabaon Præfectus quidem apud Tripolim erat bello exercitatus & animo vafer: vbi audiſſet ſe à Vuandalis bello peti, talia commentus eſt. Primum ſubditos iuſſit ab omni iniuſtitia & cibis lautioribus, præterea à mulierum concubitu abſtinere, geminum quoq; vallum conſtitui, in altero vt ipſe cum exercitu omni virorum eſſet, in altero mulieres concluſit pœna mortis appoſita, ſi quis ad id accederet*, hæc auctor de homine, quem quidam haud librorum ſacrorum Chriſtianæ religionis expertem fuiſſe ſignificare videtur, dum iuſtitia, ieiunio, ac caſtitate hoſtes vincendos eſſe haud fruſtra putauit. Sed audi de Mauro maiora, ex quibus magis admiraberis animi eius in recte iudicando lumen diuinitus impertitum, pergit enim Procopius:

VI. *Poſt hæc certos ante mittit explorantes cum his mandatis: Quam primum Vuandali exercitum mouerint, ſi aliquod templum ex his, quæ Chriſtiani honorant, profanauerint: vbi*

a Apud Sur. to. 1. die 1. Febr.
b Hormiſd. epiſt. 80.
c Beda Hiſt. Angl. lib. 1. c. 13.
d Ioan. 7.
e Ioan. 8.
f 1. Cor. 4.
g Procop. de bello Vuandal. lib. 1.
h Iſidor. in Chron. Vuandal.
i Procop. de bello Vuandal. lib. 1.

TRASAMVNDVS REX MORITVR.
IEIVNIO ET CASTITATE VINCI HOSTES.
CABAONIS CITA CONSILIA.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN